



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

6. Quæ ex scriptura & patribus contra statutam hactenus veritatem
aduersariis sonant, eidem potius fauent.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

dem ipsius siue possit cooperari, siue negatiue non operationis opposita, seu non resistentia præfinitioni, à voluntatis quidem potentia, sed non indifferenti & libera, soluta, expedita, & absoluta à necessitate, & impedimento alterius extremi erit, vt ad liberam cooperationem, & operationem voluntatis, siue posituæ, siue negatiue non resistendo præfinitioni opus esse scriptura, & Patres docuerunt illud de potestate voluntatis in sensu composito ad resistendum præfinitioni in complete actuari, vel præfinitionis Thomistica naturam destrui, negatque intrinsecam eius efficaciam, & antecedentem cum præfinita operatione voluntatis connexionem, vel eam ex parte actus primi, & principij essentialiter requirit à voluntate nostra reiecti, vel recedit in solutionem iam ex Patribus reiectam de similitate potentie voluntatis ad vtrumvis & in potentia similitatis cum actu, aut extremo opposito. Alij denique nouissimi Thomistæ dependentiam hanc præfinitionis, & prædeterminationis, etiam secundum se, & in actu primo, & secundum in completam actuationem sumptæ ab vfu nostræ libertatis admittunt. Sed hi quidem, si principium essentialiter requiritum à voluntate nostra ad operandum esse afferat, eoque intrinsecam cum operatione voluntatis connexionem retineant, Patrum testimonij resistunt. Vtroque enim retento, liberum nihilominus vsum libertatis nostræ, à quo præfinitionis antecedens absolute necessitas pendet per stare contra ipsos voluntis alterum autem respondent à Thomistica præfinitione deficiunt: pluraque à ratione pugnantia loco euoluenda inuolunt: quod ipsum erit de præfinita solutionibus physica prædeterminationis applicis. Illud obserua solutionem aliam his argumentis contra physicam prædeterminationem instruit familiarē iam: quod scilicet ea non sit qualitas physica præcedens, sed applicatio causæ secundæ à prima ad operandum; dummodo antecedens naturæ priori sit æque contra Patres esse. Si autem solum comitans operationem nostram, & ad eius signum solum, non vero ad antea expectans, re & nomine à prædeterminatione, & præmotione physica deficiere. Neque tamen posse eam solutionem hoc sensu vltimo præfinitioni Dei accommodari, quæ creatam operationem, adhuc quatenus à Deo est, naturæ antecedit: quippe quæ eius principium actuum ex parte Dei est: ni Dei decreta libera efficaciam effectibus, seu operationibus creatis constitui velint: solumque proinde nostras cooperationes comitari, quod non præfinitiones Thomisticæ, sed Vazquianorum doctrinæ erunt.

CERTAMEN VI.

Quæ ex scriptura & Patribus contra statutam hæcenus veritatem aduersarij sonant, eidem potius fauent.

1. Principium aduersariorum ex scriptura fundamentum, & cui maxime fidunt, replicatque sæpe, atque semper (vt vidimus) insistent, est illud Pauli: *Quis est, qui te discernit?* Ex quo putant deduci discretionem præfinitam à reprobo (vt eius loci, et si non littera, exemplo tamen, asseri Augustinus, & Patres alij, atque scholastici omnes censent) à solo Deo esse non posse, nisi salutis nostræ causa ab eo prædeterminatione prædeterminationis salutis, & nostrorum actuum ad eam conducentium præfinitione suapte natura cum eis connexa, & à nobis subinde irresistibilis apud nos agatur. Alioquin, si prædeterminatione nostra, qua à reprobo necesse est, & salus subinde nostra ex parte nostri non ponit absolute possunt, nosque absolute illius intrinsecæ efficaciam resistere absolute valeamus: & prædeterminationis diuinæ certitudo, & infallibilitas absolute nutat: nec Deus solus nos discernet: sed ipsi potius nos ipsos à reprobo discernimus. Cæterum, quam infirme ex hoc loco pro sua sententia aduersarij pugnent ostensum satis à nobis est vbi diximus Dei prædeterminationem in sui potestate, ac proinde discretionem per illam præfinitam à reprobo, à solo Deo pendere: qui absolute potuit hunc

pro illo prædeterminare, vel secus; neque vllatenus in illa positione ab absoluta contingentis positione, tanquam à causa motiua, merito nostro pendere sed solum, tanquam à materia, apta, & capaci, vt prædestinetur: quæ æque à reprobo apposta est, qui sub alijs auxilijs, & circumstantijs æque erat consenturus, & ratione cuius proinde alter ab altero discretus non sit, petatve à Deo per prædeterminationem discerni, & si neuter, ni posito auxilio consenturus absolute esset, discerni ab altero per prædeterminationem posset: sicut nec posset, si cum nullo posset consentire. Quare & si status futuritionis conditionata, & eius subinde scientia, eique innixa prædeterminatio, qua auxilium habiturum effectum decernitur, ab eius absolute nostro libero vfu obiectiua præcedentia in sui etiam pro suo vnaquaque signo dependeat: qui, si vt absolute potest, auxilio posito non consentiret, sub illo consensura conditionate verum minime fuisset. In ea tamen dependentia nulla est, neque alterius ab altero prædeterminatio in actu primo per absolutum consensum discretio, nec ius, aut motiui discretionis: sed mere passiva capacitas discretionis illius, quæ etiam per futuritionem conditionatam consensus sub auxilio altero reprobo est, quod si daretur auxilium, in sui etiam positione antecedente à libero alterius vfu obiectiue penderet.

2. Itaque futuritio conditionata, quæ prædeterminationem præcedit, atque pro casu positionis auxiliorum in sui positione ab vtriusque libertate obiectiue penderet, vtrumque capacem prædeterminationis constituit: sicuti & prædicatum rationalis, quod in vtroque est, ac sine quo subiectum prædeterminationis capax esse nequit: quin tamen per hoc prædestinatus à reprobo discernatur. Illud, quod prædestinatio possit absolute frustrari, incertaque sit, si potestate antecedenti non consentire possumus: omnino est falsum cum enim scientia conditionata, cui necessario prædestinatio innititur, in suo statu suspensa futuritionis obiectiue pro casu purificatæ conditionis, seu auxilij per prædeterminationem à consensu absolute dependeat, prædeterminatione ipsa, & purificatione conditionis, seu auxilij consensus ipse & exercita per illum in actu secundo libertas deuoluitur, & supponitur: cum consensu vero, & exercitio libertatis in actu secundo potestas ad eius omissionem, vel oppositi positionem non est, nusquamque pro vilo naturæ signo fuit: esset enim potestas chimerica ad coniungendum duplex contradictorium, vt sæpe diximus. Quare, & si posita prædeterminatione, & purificatione conditionis, seu auxilij per illam potestas antecedens, & absolute talis in voluntate sit ad consensum, cuiusve omissionem apponendam, ac proinde ad scientiam conditionatam, & prædeterminationem pro priori ad earum positionem impediendam, ne fuerint; nullatenus tamen est absoluta potestas ex suppositione, quod sint ad eorum effectum impediendum, eaque frustrandas, incertaque, & falsas, seu fallibiles reddendas: sicuti neque ad abolendum consensum absolutum, quem ille supponunt, ex suppositione quod sit potestas vlla in voluntate nostra est, esse pro vilo signo potest; quæ res, quia non satis à doctis nostris, & ingeniosis recentioribus copluribus penetrata fuit, & discreta efficacia etiam de se, antecedentisque voluntatis, seu præfinitionis Soaristicæ regulatæ per scientiam mediam de nostro consensu absolutam antecedentem irritabilitatem non satis sana, sed absurda potius theologia admitterent, existimantes ex absoluta voluntatis nostræ potestate antecedenti omittendi consensum auxilio etiam posito potestatem falsificandi scientiam mediam, & irritandi Dei prædeterminationem, imo & consensum præfinitionem illi scientiæ innixas admitti necessario debere: cum tamen potestas absolute antecedens impediendi illas ne essent, non autem irritandi eas iam positas, siue ex suppositione, quod sint, solummodo inferatur, vt vidimus.

3. Opponunt secundo ex pluribus scripturæ testimonijs in hanc sententiam conspirantibus. Scilicet cor hominum, etiam Regum, quantumvis potentium, omnesque hominum vias in manu, seu potestate, & voluntate Dei esse, vt quoquoersum illud, illasque pro libito conuertat, seu quo voluerit vertat illud. Non autem ea erit Dei in cor, seu voluntatem nostram, nostrasque vias plena potestas, si posita Dei voluntate absoluta de consensu plena nobis absolute potestas antecedit sit nõ cõsentienti:

h h h 3 cum

4. Dices. Si plena Dei potestas in humanas actiones eiusmodi solum est, vt ex consensu nostro qui posita Dei voluntate, præparatione, & collatione non esse absolute antecedenter potest, atque eius conditionata futuritione, pendeat: cum absolute omnibus, & singulis possumus non consentire, poterit esse homo aliquis, qui nulli consensurus sit: ac lubidine, cuius cor in manu Domini, eiusque operationes potestati diuine non ita subdantur, subiacerent, vi eiusmodi homo à Deo produceretur, & existeret. Sed tamen obiecto hæc aduerfaria doctrina minime fauet (& si totum, quod in ea supponitur, & affirmatur admittatur) neque præsentis nostræ sententiæ aduerfatur. Etenim futurum nullum contingens abque diuina præfinitione, seu voluntate ab intrinseco efficaci antecedenti, & connexa de se, suapte quæ natura cum illo, & eiusdem fatiæ mediis esse absolute posse Thomistæ contendunt argumentis, quæ de omnibus vniuerfali contingitibus futuris, vel certè de nullo probantur: ac præfinitionis diuinæ, & mediæ de se, quæ suapte ingenio efficacia cuiusvis contingentis absoluti principia necessaria, atque ex parte actus primi, & antecedentis essentialiter requiri. Hoc nos negamus, asserendo ea principia necessaria, siue ex parte principij essentialiter requisiti ad futurum contingens absolutum computanda non esse. Admissio autem toto, quod in obiectione assumitur, etque probatur solum euincit respectu vniuersi, vel alterius hominis possibili Deo præfinitionibus, & mediisque de se efficacibus, vt consensum volitum obtineat opus esse, non vero respectu reliquorum. Secundo, cum Dei voluntas, quæ sua potestate in nostras operationes vt solummodo potest, in actus prauos, vel peccata nostra ferri formaliter, aut interpretatiue, adhuc inefficaciter, nequeat, vt d. 2. ostendimus, locum obiecto non habet adhuc respectu hominis illius possibili: quare non ex præfinitione, aut medio de se inculpabiliter connexo (quod interpretatiua saltem peccati voluntas efficit) actus eius prauus procedere possit, sed solum ex mediis illis cum negatiue actus prauis antecedenter absolute componibilibus: quare dominium, & potestas Dei in praua nostra opera, & voluntatem illis exerceant nec præfinitiones, nec media de se efficacia, sed omnino indifferentia concernit. Tercio respectu operum nostrorum, non prauorum (& si velis prauorum) sed vel honestorum vel indifferentium, quæ Deo vellet etiam formaliter, nec solum interpretatiue valent, si ab homine illo possibili, omniacum media non de se, sed extrinsece ab eius consensu efficacia abiectum vellet consensum Deus obtinere: fateor præfinitione mediisque de se efficacibus opus ipsi fore: tunc autem consensum quidem eius intenturum, obten-

57. Censet ergo eiusmodi hominem, seu rationalem creaturam omnibus coniunctum, & singulis auxiliis indifferētib; vel cogitationibus non contentum repugnare. Primo quia, & si fecit ut in loca nura, quibus Deus dominum, & potestas in cor hominum, eorumque liberas operationes afferitur de productis, producēdisque explicari, vicinque possent, ite tamen vera, genuinaque, & germana interpretatio de omnibus vniuersum hominibus, liberisque creaturis intelligenda sunt: cum non ob specialem aliquam producturam conditionem, sed ob communem omnibus rationalibus, liberisque creaturis ad Deum eorum Dominum subordinationem, & subiectionem sententia illa eis locis asseratur, inde finite dicta, quare, & vniuersum de omnibus, etiam possibilibus, fuit. Ratio autem ex domino Dei supremo, & infinito Theologica est: quia Deus non solum naturalium agentium, actionumque eorum Dominus est, sed liberorum, & agentium, & effectuum iure, & potestate infinita essentialiter, & simpliciter vtendi illis omnibus pro libito: ergo implicat esse creatam voluntatem liberam, cuius liberas operationes nequeat absolute Deus mouere, ducere, & deducere, quo vellet. Patet: quia infinita simpliciter, & diuina potentia huius physice, huius politice non est, quae ad omnem effectum, seu terminum absolute possibilem non extenditur, ac proinde, si vel vnum minutissimum possibile vltra potentiam Dei actum esset, ad ipsamque non extenderetur, potentia actiua Dei, siue omnipotentia non esset. Tum sic. Sed si eiusmodi creatura rationalis possibilis admittatur, admittetur operatio, vel omnisio libera, quae domino Dei non subiaceat, & similiter libera voluntas, quae Deus vt nequeat deducendo illam ad liberam aliquam, imo & plures operationes: ergo admissa ea creatura rationali possibili dominium Dei in agentia, & operationes creatas liberas periret: quod est implicatio: tum: sublimum antecedens patet: quia cum mediis omnibus possibilibus de se indifferētib; coniunctum etiam sumptis admittitur non confensura, ac proinde liberare non confensuratur: cum tamen absolute possit confensere: & tamen cum vltra media omnia possibilis, & quae sola liberata non lacerent, nihil, quod illam liberum ab ea creatura obtinendum, si plane eius creatura liberam in consensum exercitum, cumque liberum confensum exercere diuino domino potestati, & voluntati non subiacere: cum ad eum apponendum per creaturam illam, eiusque liberam de facto appositionem medium illa non habeat vllum, & si illud habeat, vt apponatur necessario. Idem argumentum fit ex infinitate prouide De potestatis, & omnipotentiae, in quorum detrimentum cedit ab eo peritica voluntas, cui nec prouidentia, nec omnipotentia diuina infante vires occurrere, opponique victoria quaerit: quam rationem satis de se efficacem vi pluris facio: quia cum S. Thomas q. 6. recitandi esse videtur: ideo afferentis diuinam praedestinationem semper in nobis, non obstante potestate nostra absoluta actiua

cedenti ad oppositum, effectum sortitura, ac proinde infirmabilem à nobis esse, quia adminicula, & media potest adhibere Deus, ut toti collectioni eorum resistendum non sit, neque moraliter resisti possit. Si- cuti species quævis incorruptibilis diuina providentia dicitur: quia in individuum deficientium defectum alia, & alia substituere potest, plura, & plura quidem, quam corrumpantur: de factoque, usque ad tempus sua providentia præstitutum substituit, in quibus species quæque seruetur.

6. Tercio opponunt ex scripturæ, frequenti etiam sen- tentia, nimirum voluntati Dei resisti minime posse: aut voluntati Dei prædestinantis nostrum consensum & salu- tem, ac media congrua applicante ita potestate nostra antecedenti per arbitrii nostri libertatem possumus à prædestinatione resistere, ut omissionem consensum cum eiusmodi voluntate, & mediis coniungere possimus: ergo voluntati Dei, etiam prædestinantis, resistere absolute possumus: ergo ea arbitrii nostri liberi potestas aperte scripturæ repugnat. Maior expressa est Genes. 30. num. 19. ubi pro scelere in ipsam partem timidos fratres Iosephus alloquitur: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Esther 13. num. 9. Domine Domine Rex omnipotens in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui tua possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* Ad Roman. 9. num. 19. *Voluntati eius qui resi- sit? Id est, potest resistere: & sexcenta in eandem sen- tentiam.* Sufficiunt autem hæc ad maiorem illam ex scripturæ statuendam: præsertim, cum hæc de voluntate Dei citentur, quæ à libera nostra voluntate pendent, sint expressa. Sed enim si sensus horum, & similitum loco- rum sit, quem aduersarij intendunt, oportebit scriptu- ram, & Patres recitatos, Concilia, Pontificum definitio- nes palinodiam recantare: cum ex datis iam, dandisque eorum testimoniis constet, prædestinationem etiam, congruè quæ vocatos posse non consentire, resistendo, abiiciendo quæcationem, id est eius effectum: resistencia autem per omissionem consensum eis, quæ non sunt, minime est, sed quæ sunt, sicuti & abiectio; quare potentia resi- stendi voluntati Dei de nostra salute, aut consensu li- bero, quæ est, & mediis ad eum obliuendum applicatis à Deo, siue resistendi in sensu composito eorum eis testi- moniis asseritur. Repetendus hic oportune est Augu- stini vulgaris ille ad rem hanc vniuersalis aphorismus ex lib. 2. de lib. arbit. cap. 8. *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Quæ enim peccat in eo, quod nullo modo cauere potest? Si autem potest, non ei cedatur: & non peccabitur. Quod ipsum de honesto & meritorio opere à contra- rio dictum intellige. Maxime, cum eius sint verba. *Non enim ea Deus, quamvis prædestinet, facit volun- tatem cogendo; sed in sua illam potestate dimittendo.* Cum ergo potestas resistendi Deo in nostra voluntate li- bera asseratur ab scriptura absolute, idque exigant liber- tatis nostre iura, imò ipsa libertate includatur; de alteri- us solum generis impotentia resistendi voluntati Dei, etiam prædestinantis nostrorum actuum liberorum, in voluntate nostra asseri ab scriptura citatis locis potuit. Quare de impotentia consequenti intelligenda sunt: quatenus prædestinatio ipsa, ut diximus consensum no- strum sub conditione futurum, eiusque conditionatam scientiam, ut à Deo habeatur, supponit: quæ à consensu nostro absolute pro statu obiectiuo dependent, ut dixi- mus. Vnde postea prædestinatione, quæ tandem in sui positione consensum ipsum supponit, ne antecedenter quidem possumus non ponere consensum: quia esset coniungere cum consensu supposito eius negationem, ad quod potestas libertatis nunquam fuit, imò neque vera, & non chimærica potestas esse potest, ut diximus supra; sed solum ad alterum pro priori naturæ ad al- terius positionem appendendum.

Hoc solummodo docet Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. verbis (quæ obici etiam ab aduersariis minime resisti arbitrium. Sic enim vult, & nolle in no- tem non impedit, nec superet potestatem. Quibus cum nolle nolentis, & nolle volentis in eius potestate, scilicet antecedenti expresse asseratur. Potestate solum conse-

quenti resistencie impotentia in homine asseritur: qua- tenus conditionatum consensum, ab absolute purificata conditione in sua obiectiva veritate pendente, in sui positione diuina illa voluntas supponit; non scilicet ap- ponenda, ni absolute purificata conditione consensum, à quo conditionatus, eiusque scientia pendet, esset ab- solute futurus. Ea vero voluntate posita nulla ad consen- sus omissionem, ut dixi, & impediendum effectum voluntatis illius potestas est: quia in eius positione li- bera consensum posicio supponitur; cum quo nulla vn- quam vera, ac non ficta potestate, siue creata, siue in- creata, eius omisso fuit coniungibilis. Quia vero eius voluntatis ab intrinseco non efficacis, vel saltem, ut ab intrinseco efficacis, non requiritur essentialiter ad con- sensum (quod satis præfati controuersæ est) vium, & exercitium liberum indifferentis potestatis arbitrii in consensu eliciendo suppositum, consequentem solum ne- cessitatem inducit, neque antecedentem oppositam an- tecedenti arbitrii ad vtrumvis potestati, potest inferre. Solum quippe est impotentia ad vtrumque simul, quæ potestati ad vtrumvis, seu alterutrum minime aduersa- tur. Et hæc quidem de impotentia resistendi voluntati prædestinatæ, siue auxilij congrui collatiuæ iam posita: satis aperta sunt. Voluntati vero Dei, qua nullum auxilium immediate conferret, sed solum apud se sta- tueret vniuersum, appositum se omnia media, quæ posset, seu facturum ex parte sua, quidquid posset, ut sa- lutem per consensum nostrum, & meritorium, quare & liberum de facto obtineret quid diceret? In eo casu, li- cet consensum, & salutis liberè obtinendæ præfinitio, seu voluntas efficacis non adesset; tamen quoddam im- potentia genus resistendi eiusmodi voluntati ulterius in voluntate nostra inuenitur, quod antea quidem ad consensum aliquo modo sit, & tamen de facto potentia indifferenti ad vtrumvis non aduersatur, & si voluntas eiusmodi independenti ad scientia media à Deo concipiatur. Hæc enim impotentia resistendi nihil aliud est, quam creaturæ rationalis subiectio, & subordinatio, etiam in suis liberis operationibus supremo Dei domi- nio in creatam omnem libertatem voluntatis, & opera- tionum eius, quod ut supra diximus, stare in Deo ne- quit, ni in tota collectione mediorum aliquod saltem contineatur, cui, licet non connexo de se cum consen- su, sit voluntas creata consensura si detur, & si absolute illo etiam dato, posset non consentire. Illa verò Dei vo- luntate faciendi, quantum ex parte sua potest, ad salu- tem per liberum nostrum consensum obrinendam; at- que adeo ad obtinendum à nobis liberum consensum ipsum tota Dei omnipotentia, & mediorum de se indi- ferentium collectio, ad quam omnipotentia extenditur, applicata est: cui mediorum collectioni coniunctum sumptæ resistere liberè de facto incapax creata voluntas est. Sed quoniam, nec medium, quod de facto, ex ea etiam voluntate Dei, decernitur, nec tota collectio me- diorum per illam applicata antecedentem connexionem cum voluntatis nostræ consensu habent; imò vero cum eius libertate illam habent, sit, ut hæc impotentia resi- stendi de facto dominio Dei, & toti auxiliorum colle- ctioni in libertate creatæ voluntatis inclusa, antecedenti voluntatis nostræ potestate ad vtrumvis, in qua eius li- bertas consistit, minime officiat, sed ad consequentem physice impotentiam reducat.

Et sanè de hac impotentia videntur mihi intelligenda scripturæ (præsertim Esther 13. ubi ea redditur ratio, quod vniuersa in Dei ditione posita sint) & Augustini opposita loca, & aliud quod ex Prosperi carminibus, c. 15. de ingrat. opponi solent, & sic habent.

Ipsa suum consumat opus, cui tempus agendi semper adest, quæ gesta velit. Non moribus ullis fit mora: non causis anceps suspenditur ullis.

Sive Dei voluntas, siue gratia. Quamquam interim non negem Augustinum recitatis verbis, nec de voluntate prædestinatæ, sed de omni Dei voluntate etiam non prædestinatæ salutis, nec de impotentia resistendi illi explicato sensu fuisse locutum, sed de impotentia resi- stendi cum victoria, & impunitate resistens. Sic enim immediate, & continuo subnequit. *De iis enim, quæ fa- ciunt, quæ non vult* (scilicet non prædestinatis) *facit ipse quæ vult.* Sed & locus ex Genes. 30. de omni Dei volun-

UTEGA
A. par
Vla

voluntate etiam permissiva peccati fratrum Ioseph in eius venditione apertus est; nec solum de prædeterminatione, Tertius locus ex 9. ad Roman. non Pauli ex propria, sed ex impiorum persona verba continet: cum enim docuisset ibi Paulus prædeterminationem iustorum, & indurationem impiorum per voluntatem eius permissivam Dei miserentis, vel non miserentis esse. Idque exemplo indurationis Pharaonis, & aliis scripturæ locis ostendisset, concludit: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ex quo impiorum nomine sibi Paulus obiecit, *Dicis itaque homo, quid adhuc queritur, seu irascitur, pœnisque in Pharaonem, & impios animaduertit. Voluntati enim eius ex qua eorum impietas, & induratio processit per te quis resistit?* Aut iuxta græcam lectionem *resistit unquam?* Quorum obiectionem illico retundit primo ex supremo dominio Dei in homines, ex quo, non nisi insolenter voluntatis Dei ratio ab ipso petere homo potest. *O homo, tu quis es, qui respondas Deo?* Et exemplo figuli, & luti, quod in hoc, vel illud vas pro arbitratu, & iure suo effingere potest, solutionem confirmat. Secundo respondet obiectioni ex sua doctrina factæ à versu 22. misericordie electione, & induratione arbitraria Dei suo iure & dominio ventis neminem fieri bonam, aut malum independentem à propria voluntatis libero usu, quin impios, & induratos propria se voluntate indurare, non hinc Dei, oppositum potius volentis, misericordie differentia, atque in lux potentie, & diuitiarum glorie sue in electos ostensionem patienti dissimulatione. *Quod si Deus, inquit, volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa ira apta.* Sive græce, quæ apta, & parata sunt, nimirum à se ipsis. In interitum, ut ostenderet diuitias glorie sue in vasa misericordie, quæ præparavit in gloriam: quia positiva voluntate ex glorie sine media habitura effectum disposuit, &c. patienter autem, quæ sua voluntate alij de se, & contra nostram voluntatem agunt, gerimus; non quæ nos agimus propria voluntate, vel alij iuxta illam; de quibus gaudium, non patientia est. Idcirco non à Deo parata vasa iræ, sicut vasa misericordie ait, sed aliunde, id est à se ipsis; quare iuste queritur, & irascitur in vasa iræ Deus. Unde à versu 30. ostendit Iudeos à vera iustitia repulso, Christianos vero electos, quia Christi fidem hi receperunt, respuerunt illi. Quibus etiam aperte docet electionem, aut reprobationem non ita nostras agere irresistibiliter voluntates, ut non ab earum potestate, & exercitio libero pendeat: quasi illum in sui existentia, & effectu omnino inevitabiliter antecurrat. Id quod superioribus etiam verbis Apostolus docuerat. Ut doctè ad oppositum verum, & caput ferè totum oblectat noster Cornelius à lapide. Nihil ergo præsidij in his scripturæ locis, & sententia de impotentia nostra resistendi voluntati prædeterminationis, & electionis Dei pro se, & contra nos inuenire aduersarij possunt in illo.

Sed neque in alio Augustini testimonio ex epist. 107. ad Vitalem reprehendentis quod dixerat, *Consentire, aut non consentire ira nostrum esse, ut, si velimus fiat; si autem nolimus nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quod petitioni Ecclesiæ à Deo, ut faciat, ut faciamus aduersarij ait: facit autem Deus, ut faciamus sua electione, prædeterminatione, & gratia: ergo eiusmodi hæc sunt, quibus volendo, aut nolendo, libera nostra voluntas nequit resistere. Et Prosper. epist. ad August. ita Massiliensium errorem refert *quod voluntas diuina gratia, seu voluntatis sibi pariat opem, non gratia, seu voluntas diuina sibi humanam subiiciat voluntatem.* Quibus occasione Concil. Arausican. 1. canon 6. damnat *subicientes gratia seu voluntatis diuina adiutorium, humilitati, & obedientia humana.* Et Arausican. 2. can. 4. *Si quis, ut à peccato expurgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem, ut etiam purgari velimus per spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri consuetur resistit spiritui sancto.* Sed his ex Prospero, & Arausicanis canonibus cum aduersus Pelagianum, & semipelagianum errorem expressè sint abunde est satisfactum controu. 2. ubi nostra sententia de gratia & voluntatis efficacia ab extrinseco nostro consensu libero, non autem eis intrinseca à Pelagiano, & semipelagiano errore discrimen perspicuum fecimus. Solum

ergo ut error semipelagianus referretur à Prospero, damaturque Arausicanis canonibus, subiectio gratia & misericordie Dei voluntatis ad opus voluntatis nostræ, seu proprium affectum, quamvis minutulum, viribus solius naturæ, absque auxilio gratia à nobis habitum & expectandum à Deo, ut nos prædestinet, ac eligat; cum potius primum etiam iustificationis initium gratia Dei per Christum necessario debeat præcedere, & licet diuine gratia, & electioni, seu prædeterminationi voluntatis nostræ honesti affectus omnes, quantumvis exigui, debeant subiacere: Quod, & nos semper profiteamur. Quod autem neque voluntas illa prædeterminata, siue gratia (ex qua, quidquid boni affectus, ac operis in nobis est initium facere necesse est) non ab intrinseco efficaci sit, neque ita voluntates nostras ad elicienda honesta subiiciat, ut necessitate antecedenti ea non elicere nequeant, imo vero horum conditionarum futuritionem, & scientiam, aquarum vel altera, vel utraque efficac, tam Dei prædeterminata voluntas, quam gratia, extrinsecus, & sit, & denominetur: ac proinde id tanquam materie solum aptæ, non autem tanquam meriti, aut motui alicuius constitutioni à Deo expectetur, ut liberè omnino, & liberaliter absque villo nostro iure, sed suo mero arbitratu eligat, ac prædestinet: nullatenus uti semipelagianus error à Prospero referretur, aut Arausicanis canonibus damnetur. Eundem planè errorem in Vitali Carthaginensi reprehendit Augustinus t. 2. citata epist. 107. ita aperte, ut mirum sit à non omnino eius epistolæ, & Augustinianæ doctrinæ ignatis nostræ opponi. Dixerat enim initio. *Quemadmodum dicit, quod te audio dicere, ut rectè credamus in Deum, & Evangelio consentiamus non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis: id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse, nisi per legis, & scripturarum lectionem meram, & auditionem, ut ex ipso statim refert: quibus, ut consentiamus, vel renuamus, ac subinde eam vnicam Dei operationem in nobis euacuamus, vel secus naturalis solius potestatis arbitrij nostri esse vitalis aiebat: quod totum vel pelagianum, vel semipelagianum cum obsecrat in vocationem, quam cum Augustino necessariam videretur ad quodvis bonum opus faceretur, euacuari ab arbitrij nostri libertatem posse, & Paulus faceret cum obsecrat in vocationem gratiam Dei recipiant.* Et Augustinus citatis locis, maxime illis, quibus aliorum ex vocatis fidem, & aliorum infidelitatem eo tandem refert: *quod illi credere voluerunt; hi vero noluerunt.* Facit autem ut faciamus voluntate, & prædeterminatione sua Deus: quia, ut idem Augustinus etiam aiebat, *auxilia, est indifferentia de se, habitura tamen effectum donat: ac propterea, & donat effectum in radice oportuna vocationis, & voluntatis nostræ preparatione per illam.*

10. Opponunt distinctionem antecedentis, & consequentis voluntatis à Damasceno, & Chrysostomo tradita, ita à S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 6. ad 1. & Scholasticis explicari: ut antecedens sit, quæ fertur in obiectum secundum se sumptum, consequens, quæ in illud cum aliis adiunctis circumstantiis, & præsuppositis, cuiusmodi est Dei præfinitio, & prædeterminatione. Sed nihil tale ij Patres, neque Scholastici (præter Thomistas recentiores) ex ipsis docent; sed solum agunt de Dei consequente voluntate ad quam determinari, imo cogi, & compelli per liberas nostras operationes alicuius: quæ de Dei, præsertim punitiua voluntate, frequenter tam apud hos, & reliquos Patres lauat, elegantissimeque persequitur Saluianus de prouid. & gubernat. illud: *Clamor sodomorum venit ad me expendens illius verba dabimus controu. 4. de voluntate diuina scilicet omnium agentes.* Anselmi testimonia est perspicua friuolis, quas reiecit solutionibus tentant, atque illud ex ipso opponunt. *Quando Deus vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Et tamen necessitas est effecti de effectus à voluntate prosecutione antecedens est creti de effectus à voluntate prosecutione antecedens est profecutionem voluntatis nostræ; sicuti & decretum Thomisticum quod eam inducit: ergo, est decretum Thomisticum operis antecedentem necessitatem inducat voluntati nostræ ad operandum, neque eius, neque operis libertatem euerter Anselmi sententia. Verum, si, ut sonant nobis non ut sentiantur ab Anselmo, verbis uti genium nobis

& ingenium esset, etiam contra aduersarios obtineremus prædicta à Deo substantia actus nostri quomodolibet, etiam non præfinito modo libertatis, quo à nobis fiat nihilominus eius, & voluntatis nostræ libertatem seruati- siquidem, tunc etiam vellet Deus effectum sequi voluntatem. Sensus igitur est voluntatem tunc liberam esse debere; & debere tamen esse effectum: quia necessitate consequenti, & voluntas effectum sequetur, & prosequetur, iuxta doctrinam ab ipso semper, ac sæpè ex instituto assertam, & stabilitam. Siquidem illa Dei voluntas efficitur ab intrinseco, siue effectus ex parte sui solum apponendi, vel potius disponendi, siue apponendi absolute, quare & ex parte etiam nostræ apponendi, (de quo modo non disputo) conditionata scientia regulari debet: quare tandem effectus conditionatam futuritionem supponit, quæ in suo illo statu, & veritate obiectiua à futuritione absoluta pendet: ac subinde, tam ipsa, quam scientia, quam voluntas per eam regulari, impediri ab ipsa absolute libertatis nostræ potuit, ne pro suo signo, & priori fuerit iuxta dicta à nobis non semel. Et quidem Anselmus de voluntate Dei prædestinatam, quæ efficitur, non ab intrinseco sit, sed ab extrinseco, seu, quod idem est, effectura nostrum consensum, solummodo loquitur. Nam decreta ab intrinseco efficacia directa etiam, ac regulata per scientiam mediam repugnant verosimiliter, & nobis certum omnino ex Anselmi doctrina, & ratione Theologica est.

11. Plura ex Augustino congruunt ut libertatem nostram cum necessitate à Dei voluntate antecedenti pronuncie consistere probent. 6. de Genes. ad lit. c. 1. sine indefinitæ, & vniuersum ait: [Dei voluntas rerum necessitas est.] Scilicet ut sint: ergo & actum liberorum, ut sint, necessitas Dei voluntas erit. In primis, si illa Dei voluntas antecedens, & efficax necessario requiritur non sit, ut actus nostri liberi sint, nihil ex loco, quomodolibet intellecto pro præfinitione Thomistica elici poterit; sed solum pro Socraticis præfinitionibus per scientiam mediam regularis. Ex quibus solum consequentem necessitatem, sicut ex prædestinatione, seu decreto collatio auxiliij idem contendunt. Illis autem verbis necessariam, & essentialiter requisitam esse ad actus liberos apponendos Dei voluntatem efficacem minime asseritur. Sed certe Augustinus de rebus independentibus à nostro libero arbitrio, rebusque ita à Deo decretis, ut creatione Adami in ætate, seu statu virili agebat, ut immediate præcedentia verba exprimit. In quem sensum à Magistro referuntur in 2. d. 17. c. 4. & scholasticis, & Vvaldeni 1. doctrin. fid. c. 30. post med. & explicanda germane sunt. Similia, quæ ex c. 17. init. & circa, extra rem opponi ab aduersariis ex Augustino solent. Sed ex c. 7. de ciuit. cap. 10. obiciunt. [Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim, & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus: si dicamus: Necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire.] Quorum in Deo necessitas omnino antecedens est, sed cum toto illo cap. aliis, quæ innumeris locis, Augustinus recitat verbis cert. 2. à num. 1. Ad libertatem voluntatis, de qua agimus indifferenter eius ad vtrumvis potestatem requiritur, ab omni necessitate, impedimento alterius partis excluditur cert. 3. u. 9. & controu. 2. d. 5. q. 8. ubi aliis vocibus simpliciter & absolute necessitatem antecedentem alterius partis libertatem nostræ voluntatis euertere fatetur; secus necessitatem conditionis, siue secundum quid irreuerent de Augustino putatur, siue huic constanti doctrinæ eo etiam capite, quo illam ex instituto statuit, aduersarij. Secus neque aduersarij dicere audebunt necessitatem antecedentem viuendi, & omnia sciendi, quæ Augustinus in exemplum adducit relinquere in Deo libertatem, de qua hic agimus ad viuendum, vel non viuendum, aut ad omnia sciendum, vel aliqua ignorantiam; ergo neque, ut ostenderet necessitatem, quæ ex scientia, & prædestinatione nostrorum operum est, non obesse libertati absolute: sicut neque necessitas absolute talis vitæ, & omnis scientiæ Dei libertati à coactione non obest. Postmodum vero à ratione ostenditur eam prædestinationis, & præscientiæ necessitatem libertati nostræ non obesse, quia libertatis nostræ exercitio.

Christoph. de Orreaga, de Deo Vno, Tomus I.

eite opera supponit: ac proinde consequens est non antecedens. Quo eodem sensu ait cap. 11. de corrept. & grat. vers. fin. Non relinqui infirmitati nostræ voluntates sine Dei adiutorio, quo inseparabiliter, & indeclinabiliter necessitate consequenti à Deo aguntur, & in eis agitur ut velint, ne tot tentationibus, & periculis præ sua infirmitate succumberent, verba sunt. [Nam, si in tanta infirmitate vitæ huius hominibus relinqueretur voluntas sua sine adiutorio Dei (siue quo perseverare non possunt) manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur, per congruam vocationem, ut vellet: inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Et ideo perseverare non possent consequenti possibilitate, quia deficientes infirmitate, nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent, antecedenti potestate, subuentum est ergo infirmitati voluntatis humane, ut à diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.]

12. Urgent ex enchiridio c. 105. ubi de statu Beatorum. [Postea vero sic erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia beati esse sic volunt, ut esse miseri, non solum nolumus, sed nequaquam. Proius velle possumus. Sicut ergo, nunc etiam, anima nostra nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem, semper habitura est.] Et consone 22. de ciuit. cap. 30. propè med. [Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi visque ad delectationem non peccandi indeclinabiliter liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est reclus, potuit non peccare; sed potuit, & peccare. Hoc autem nouissimum, & potentius erit, quo peccare non poterit.] De natura & grat. cap. 46. [Per quam absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volunt, quia id omnino nolle non possumus. Nescis quid, & bona constrictione natura, nec dicere audeamus: ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere infirmitas: quia non potest velle peccare. Concordat Anselm. dial. de libero arbit. cap. 1. dicens: Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi: quippe, si hoc eius esset definitio: nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt liberum haberent arbitrium. Quod nefas est dicere. Subinfertur. Non pertinet ad definitionem arbitrij posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas. Inferiuscule. Qui sic habet, quod debet, & quod expedit, ut hoc amittere nequeat liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere, & ad hoc, quod debet, & non expedit, valeat adduci. Omnia hæc scholastici plures citati à nostro Ruiz d. 45. sect. 4. de libertate à coactione explicant. Ut autem genuine respondeamus difficultatum contra nos ex his testimoniis tria capita distinguenda sunt. Primum ex reprobatu ab Anselmo in definitione libertatis, adhuc partialis, potestate ad peccandum lenissima difficultas est. Nam potestas peccandi ad speciem vnam libertatis generatim definiendæ pertinet: scilicet libertatis peccandi quare non magis ad libertatis vniuersum, & genericè sumptæ adhuc partialis, seu partialiter pertinere potest, quam rationale, quod vniuersi speciei animalis essentialiter est, ad animalis genericè, & vniuersum sumpti essentialiter, & definitionem spectare queat: alioqui, ut inferebat in simili Anselmus nihil animal esset, quod rationale, aut homo non foret. Secunda difficultas de necessitate amoris viatorum erga beatitudinem in communi quam non obstat libertati nostræ Augustinus aiebat. Cui duplex solutio est iuxta duplicem satis probabilem Theologorum doctrinam. Nimirum Beatitudinem in communi nos ad amorem sui non necessitare, quoad exercitium, sed solum, quoad specificationem: ac proinde libertatem contrarietatis: quia, & si ad sui amorem non cogit, aut eius nolitionem, seu fugam in nobis non patitur: quare eam nolle non possumus, ut Augustinus aiebat, possumus autem non velle. Altera doctrina est: admittendo felicitatem, & beatitudinem

nem in communi non posse nos, pro hoc etiam statu non amare, adhuc quo ad exercitium: id autem non tollere quominus felicitatem, & beatitudinem in particulari, hanc scilicet, & illam, liberè, & quo ad speciem, & quo ad exercitium amare possimus, & amemus alteramque alteri exercitium præferamus: quod solum vult Augustinus, & sufficit, ut libertas nostra absolute non desit. Tertia difficultas est de libertate Dei, & Beatorum cum impotentia peccandi: quam perfectiorem, maiorem, potentiorumque Augustinus, & Anselmus aiebant: sed opus erat aduersariis ostendere hos Patres libertatem ad peccandum, & non peccandum, cum impotentia peccandi maiorem, perfectiorem, & potentiorum in Deo, & Beatis asserere: id quod iam nemo Thomistarum dicere audebit: cum ad libertatem, de qua disputamus, simultatem potentie ad verumvis extremum necessariam esse fateantur, & testimonia hæc negant in Deo, & Beatis ad peccandum potestatem. Solum ergo volunt Patres in eis non aboleri absolute libertatem, ex eo, quod ad peccandum libertas deficiat: siquidem ad alia omnia honesta, & bona, quorumque omnino peccatum non sit, prosequenda, vel fecus, potestatem, ac libertatem habent, & maiorem quidem perfectiorem, & potentiorum: tum quia potentia ad peccandum imbecillitas potius & impotentia est: tum quia per impotentiam peccandi alia libertas à seruitute peccati perfectissime, & nobilissime à Deo, & Beatis possidetur: nempe eius seruitutis incapax Dei, per naturam, & Beatorum, per statum suum felicissimum, & amorem Dei clarè visi: in quem super omnia feruntur, ac iucundissime inardescunt.



QVÆSTIO III.

An Conciliorum, & Pontificum definitionibus Thomistarum recentium præfinitiones ad absolutam contingentis futuritionem aduersentur?

Hoc seorsim adamus examini oportet. Siquidem res nobis, non solum contra Caluinianos, & Lutheranos, sed & contra Catholicos nostrorum actionum præfinitores à Deo Conciliorum, & Pontificum, atque Ecclesiasticarum definitionum observatores est. Præsertim, cum videam horum aliquos non solum de efficacibus contra ipsos Tridentini definitionibus declinandis, atque à se auerendis (quod mihi haud facilis opus videbatur) sed in nos etiam conuertendis curare: atque adeo Ioannem à S. Thoma clamare: *Nimis stupide ipsi abici Caluinismum*, contra quem eiusmodi definitiones editæ sunt. Ex hoc enim distincto definitionum Tridentini, se non ensis, Innocentij, eiusque immediati successoris, & Domini nostri Alexandri 7. aduersus Caluinum, Lutherum, & ipsorum reliquias editarum examine clarebit, malè ne obiciantur, an malè respondentium stupor sit?

CERTAMEN I.

Certa nonnulla pro expedita, & genuina definitionum Tridentini contra Caluinum, & Lutherum intelligentia prænotantur.

1. **P**rimo supponendum est Concilium Tridentinum decreta, & Canones subiciendos aduersus errores Caluini, & Lutheri (quibus præsertim ab Ecclesia eradicandis coactum concilium illud fuit) statuisse, & euul-

gasse. Indubitatum id etiam apud hæreticos, & catholicos Thomistas recentiores semper fuit: quare suppositione, quam probatione opus habet. Sunt autem ea Tridentini ad rem præsentem testimonia, canones, & decreta. Primum sess. 6. cap. 5. ubi statuit: & si nostræ conuersionis, & iustificationis exordium è gratiosa Dei voluntate, vocatione, & auxilio, minime remuneratorio, ad illam excitante, & adiuuante semper sit, fieri tamen illam, & peragi à nobis [eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando: ita ut tangente Deo, cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat illam inspirationem recipiens (consensu suo ut præfati hæretici aiebant) quippe qui illam, & abicere potest; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit (ut Pelagiani, ac semipelagiani aberrant) vnde in sacris litteris cum dicitur (Zachar. 4.) conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur, cum respondemus (sine orationis Hierem. & cap. 31.) conuertere nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri consitemur.] Media igitur inter aduersos errores (& Pelagij totum iustificationis, & conuersionis negotium nostri arbitrij libertati, & potestati quondam tribuentis, & Caluini, ac Lutheri totum Dei voluntati, & gratiæ Dei committentis) via incedendum Catholicis deest: ut & Dei voluntati, & gratiæ, & arbitrij nostri potestati in conuersionis negotio suæ partes catholice contra vtrumque errorem seruentur. Eius vero decreti catholica doctrina ita contra Caluinum, & Lutherum, eorumque præfinitiones canonem 4. sess. eadem instruit Tridentinum. [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis (formalis habitualis) gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passiuè se habere: anathema sit.] Item canonem 22. contra vtrumque memoratum errorem his edidit verbis. *Si quis dixerit iustificationem, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse iuxta Pelagium, vel cum eo non posse anathema sit.* Quod extremum contra præfinitores omnes actionum humanarum est, ut postea expendemus. Denique canonem 32. *Si quis dixerit: hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, &c. anathema sit.* Est autem canonis huius definitio definitioni canonis 6. adeo connexa, atque meriti operis cum eius libertate connexum sit.

2. Supponendum est secundo: vocibus cooperandi, & agendi ex parte nostri, etiam id, ad quod mouemur, præuenimur, excitamur, adiuvamurque à Deo non solum significati actionum nostrorum influxum & operationem, seu cooperationem similem cooperationi agentium reliquorum naturalium, sed actionem, & cooperationem cum pleno eius dominio, & potestate ad oppositum. Probatur primo, quia alium modum operandi, etiam spontaneæ, ac sine propria coactione Caluini Lutheri, & affectu, quorum eis locis doctrina anathematizatur, aliam actionem, & cooperationem Deo excitanti, præuenienti, adiuvanti, & cooperanti non negabant, arbitrio nostro: imò expresse admittebant semper & præsertim locis postea referendis, dum concordiam suarum, cum Thomisticis præfinitionum, & solutionum nostrarum cum domino, & potestate non agendi, siue agendi oppositum negabant. Secundo: quia agere strictè id solum apud Philosophos, Patres, & scholasticos semper significauit. Arist. 1. magnorum. [Neque enim inanimatum aliquod agere dicimus: neque etiam animatum citra hominem quicquam. Manifestum est igitur actionum hominem esse progenitorum,] & 2. Physicor. textu comment. 58. & 59. [Feliciter actio quidem est: est enim actio bona. Quare, quæ agere nequeunt, ea neque à fortuna quicquam efficere possunt. Et propterea neque inanimatum vilius, neque bellus, neque puer quicquam efficit à fortuna: quoniam electionem non habet.] Ad quæ S. Thom. 1. 2. lect. 10. [Ad agendum propriè dominium sui actus requirit,] sicuti Aristoteles voce electionis, & facultatis eligendi, & 6. ethicor. c. 1. sub init. [Tria sunt in anima, quæ habentur agendi principia, veritati]